Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8496
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



10

eius magni ꝓsilij angelus ps.
Cantate dño cantica nouꝫ quia
mirabilia fecit ord. Omnipotens
sempiterne deus: ut nos unigeniti tui noua per carnem nativitatis liberet: quos subpeccati iugo vetusta seruitus tenet.
Hec dicit dñs: ysaie ꝓphete
propter hoc sciet ꝓpls meus nomine meo in die illa: quia ego qui loquor ecce adsum.
Quam pulchri super montes pedes annunciantis: et prædicantis pacem: annunciantis bonum: prædicantis salutem dicentis sion: Regnabit dñs deus tuus. Vox speculatorum tuorum: leuauerunt vocem simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt: cum conuerterit dñs sion. Gaudete et laudate simul deserta ierusalem: quia consolatus est dñs populum suum. Et videbunt omnes fines terre salutare dei nostri. Lectio. Adhebreos.
Multifariam multisque modis olim deus loquens patribus in prophetis: nouissime diebus istis locutus est nobis in filio: quem constituit heredem vniuersorum per quem fecit et secula. Qui cum sit splendor glorie et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae purgacionem peccatorum facientes sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus: quanto differentius prae illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum filius meus es tu ego hodie genui te. et rursum. ego ero illi in patrem. et ipse erit mihi in filium: Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terre dicit. Et adorent eum omnes angeli dei. Et ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos suos spiritus. et ministros suos flammam ignis: ad filium autem. Thronus tuus deus in seculum seculi. virga equitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem. propterea vnxit te deus deus tuus oleo exultacionis prae participibus tuis. Et tu in principio diuersa fundasti: et opera manuum tuarum sunt celi. ipsi peribunt tu autem permanebis. Et omnes sicut vestimentum veterascent. et velut amictum mutabis eos et mutabuntur. Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.
Gradale. Viderunt omnes fines terre salutare dei nostri iubilate deo omnis terra. Vers. Notum fecit dñs salutare suum ante conspectum gentium

26